

*Extendens manum in discipulos, dixit:
Ecce mater mea et fratres mei.*

✠ Lécio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

12, 46-50

In illo témpore:

⁴⁶ Loquente Iesu ad turbas,
ecce mater et fratres eius stabant foris
quæréntes loqui ei.

⁴⁷ Dixit autem ei quidam:
«Ecce mater tua et fratres tui foris stant
quæréntes loqui tecum».

⁴⁸ At ille respóndens dicénti sibi ait:
«Quæ est mater mea,
et qui sunt fratres mei?».

⁴⁹ Et exténdens manum suam in discípulos suos dixit:
«Ecce mater mea et fratres mei.

⁵⁰ Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei,
qui in cælis est,
ipse meus frater et soror et mater est».

Verbum Dómini.